



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

II. Qui cingulum militiae post baptismum accipiunt, clerici fieri non debent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

II.

Item, si quis post remissionem peccatorum cingulum
militiaꝝ ſecularis habuerit, ad clericatum omnino admitti
non debet.

III.

Si quæ autem cauſæ vel contentiones inter clericos ,
tam superioris ordinis , quam etiam inferioris , fuerint
exortæ , vt ſecundum Synodum Nicænam congregatis
eiusdem prouinciæ Episcopis iurgium terminetur. Nec
alicui liceat , ſine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ ,
cui in omnibus cauſis debet reverentia cuſtodiri , relictis
his fæcerotibus qui in eadem prouincia Dei Ecclesiam
nutu diuino gubernant , ad alias conuolare prouincias.
Quod ſi quis forte præſumpferit , ab officio clericatus
ſubmotus , velut iniuriarum reus ab omnibus iudicetur.
Si autem maiores cauſæ in medium fuerint deuolutæ , ad
ſedem apostolicam , ſicut Synodus statuit , post epifcopale
iudicium referatur.

IV.

Vt mulierem clericus non ducat vxorem , quia ſcri-
ptum eſt , *Sacerdos uxorem virginem accipiat* , non viduam ,
nec eieſtam . Vtique qui ad fæcerotium labore ſuo & vi-
taꝝ probitate contendit , cauere debet ne hoc præiudicio
impeditus peruenire non poſſit.

V.

Vt ſi quis mulierem , licet laicus , duxit vxorem , ſiue
ante baptismum , ſiue poſt baptismum , non admittatur
ad clericum , quia eodem vitio videtur exclusus. In bapti-
ſmo enim crimina dimittuntur , non acceptæ vxoris con-
fortium relaxatur.

VI.

Ne is qui ſecundam duxit vxorem clericus fiat , quia
ſcriptum eſt : *Vnius uxoris virum : & iterum : Sacerdotes mei
ſemel nubant : & alibi : Sacerdotes mei non nubent amplius*. Ac ne
ab aliquibus existimetur , ante baptismum ſi forte quis ac-
cepit vxorem , & ea de ſeculo recedente alteram duxerit ,
in baptiſmo eſſe dimiſſum , ſatiſ errata regula : quia in ba-
ptiſmo peccata remittuntur , non acceptarum vxorum
numerus aboletur . cum vtique vxor ex legis præcepto
ducatur , in tantum vt & in paradiſo cum parentes huma-

B iii